

ne, quæ non fuit decretata in ostensionem excellentiæ suæ, ut propter illam permitteretur lapsus hominis, sed potius in remedium peccati jam præsuppositi, et executi, respondeatur utroque quidem modo fieri potuisse, et ut ostenderet Deus divitias misericordiæ suæ in illo opere gloriæ suæ, redimendo nos; et in remedium peccati jam facti destinando Filium suum ut veniret salvos facere nos, et utroque modo salvatur, quod ex vi talis decreti non veniret Christus nisi stante peccato, quia utraque modo veniebat ut redemptor, et ad redimendum necessario debebat respicere permissionem peccati, sive ut illius excellentiam ostenderet, sive ut ipsam in remedium decerneret. Sed tamen de facto videtur Deum ex motivo remedii peccati jam prævisi, et præsuppositi voluisse incarnationem, et non primo, et per se ex motivo ostendendi excellentiam ipsius, quia in hoc non possumus judicare de divinis decretis prout de facto sunt, nisi quatenus ipse Deus dignatur nobis revelare per Spiritum suum. Nobis autem revelavit, quod: « Propter nos homines, et propter nostram salutem incarnatus est; quod venit peccatores salvos facere; quod commendat charitatem suam; quod cum essemus peccatores pro nobis mortuus est; et cum essemus mortui in delictis convivificat nos. » Quæ omnia supponunt peccata nostra præcessisse incarnationem, non subsequi. Et quia magis charitas, et pietas Dei commendabatur in hoc quod cum essemus jam in peccatis, et peccatum ipsum præsupponebatur regnans in nobis, Deus voluit incarnari, quam in hoc quod in ostensionem excellentiæ illius mysterii veniret in mundum, potius elegit prius motivum quam secundum, quod magis ad charitatem ostendendam conducebat; quamvis

etiam supposito hoc remedio voluerit Deus ipsius mysterii excellentiam ostendere, et in caput omnium Christum destinare, cui creatura omnis subiceretur; de quo latius tertia parte dicturi sumus.

Sed unde, inquires, habemus quod de facto Deus voluerit pœnitentiam hominibus decernere in ostensionem excellentiæ talis virtutis, ut inde moveretur ad permittendum peccata in electis suis; non autem solum ex motivo remedii de peccato jam prævisi, et præsupposito, sicut voluit ipsam redemptionem Christi?

Respondetur id constare, tum quia Ecclesia ex Scripturis edocta dicit, quod: *Deus omnipotentiam suam parcendo maxime, et miserando manifestat*; id autem videtur Deus intendere de manifestatione suæ omnipotentiae, ubi maxime manifestatur; tum quia Scriptura specialiter dicit Deum in remissione peccatorum intendere exaltationem suam, et propter pœnitentiam peccata dissimulare, ut Isai, III: *Propterea expectat Dominus ut misereatur vestri, et ideo exaltabitur parcens vobis*: ergo parcere, et miseri est finis intentus a Deo, quod sine pœnitentia non fit, et idem est Deum remissionem peccatorum dare ac pœnitentiam in adultis. Et Sapient. XI: *Misereris omnium, quia omnia potes, et dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*; ubi ly propter in proprio et riguroso sensu dicit causam finalem, si autem pœnitentia est finis dissimulandi peccata, cur non et permittendi? Sicut enim dissimulatio est suspensio vindictæ, ita permissio suspensio auxilii. Tum denique hoc idem deducitur ex locis supra allatis ex Scriptura, et Augustino aliisque patribus, quibus ostendimus Deum permittere peccata propter bonum hominis aliquando, sive hoc bonum sit humi-

liatio, sive conversio; ergo licet aliquando veli pœnitentiam in remedium, et supposito ac præviso peccato, tamen non est inconveniens quod aliquando propter ipsam conversionem, et humiliationem hominis velit talem permissionem, ut ostendat divitias misericordiæ suæ in parcendo, et excellentiam pœnitentiæ in reparando.

XXXII. Ad id quod ultimo dicitur in argumento, quod voluntas ostendendi excellentiam pœnitentiæ est virtualiter voluntas permittendi peccata, concedimus. Cum vero dicitur esse inconveniens, quod Deus ex amore alicujus finis obligetur permittere peccatum loquendo de obligatione, ex suppositione alicujus finis, non simpliciter, hoc omnino falsum est; quia ad Deum, ut ad supremum gubernatorem pertinet permittere aliquando mala, et talis permissio clarum est quod debet esse ex aliquo fine: in quocumque autem fine simile argumentum fieri potest, quomodo Deus obligatur ex suppositione talis finis permittere peccatum: ergo vel nunquam permittet aliquid malum, et tunc male gubernabit, vel ex aliquo fine obligabitur ad permittendum. Quod si ex aliquo fine, cur non ex humiliatione, et conversione hominis? Exemplum illud de consulente minus malum homini jam determinato ad majus malum, vel consulente illud homini non determinato, non est ad rem, quia in præsentia non agitur de influenza morali, qualis est consultatio, quæ in uno casu respectu hominis jam determinati ad majus peccatum justificatur, non respectu ejus qui nondum est determinatus. Sed agimus de suspensione influxus, et denegatione auxilii divini, quod universaliter respectu omnium peccantium assignari debet (alias non peccarent) sive deter-

minati sint alias, sive non. Et respectu cujuscumque fit illa permissio Dei, ex aliquo fine fieri debet, et talis finis non repugnat quod sit pœnitentia, quia ex hoc non obligatur Deus majorem influxum, aut volitionem habere in peccatum, quam permissionem.

## DISPUTATIO X.

## DE REPROBATIONE.

## ARTICULUS I.

*Quid sit reprobatio, et quot modis accipiatur?*

I. Non est certa, et constans apud omnes reprobationis acceptio, sed juxta varias sententias, quæ circa effectus, causasque reprobationis versantur, accommodari etiam solet reprobationis nomen, et acceptio ab auctoribus. Et hoc præcipue ex eo juvatur, quia reprobatio non unico, et simplici actu consummatur, sed multos includit, tum ex parte voluntatis, tum ex parte intellectus, et quæ eorum principaliter reprobatio sit, non facile liquet. Videntur tamen convenire omnes in hoc, quod nomine reprobationis intelligunt specialem aliquem actum dispositionis, et decreti divini oppositum prædestinationi, ita quod ille non est actus communis reprobo, et prædestinato, nec ad prædestinationem, seu salutem alicujus pertinet, sed specialiter erga eos qui æternaliter excluduntur a regno Dei, hanc enim exclusionem æternam aliquorum a regno dari in Deo, fides aperte docet, cum constet dari in judicio Dei discretionem quorundam quos salvat, aliorum quos damnat, sicut ad Rom. II, dicitur: *Qui*

reddet unicuique secundum opera ejus, his quidem qui secundum patientiam boni operis gloriam, et honorem, et incorruptionem quærent vitam æternam, iis autem qui sunt ex contentione, et non acquiescunt veritati, ira et indignatio. Item ad Roman. IX: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*: Et infra: *Quod si Deus volens ostendere iram, sustinuit in multa patientia vasa iræ apta in interitum, ut ostenderet divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam*. Et similia multa passim in Scriptura reperiuntur, quibus discretio divini judicii inter malos, et bonos ponitur, ut illi in supplicium æternum, isti in vitam æternam mittantur, ut Matth. XXV, Lucae XII, et alibi sæpe. Sicut autem judicium, et providentiam Dei circa electos prædestinationem vocamus, quia Scriptura sic loquitur ad Ephes. I: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum per Jesum Christum*, ita et decretum, seu providentiam Dei erga damnatos vocamus reprobationem, quia mali dicuntur tradi in reprobum sensum ad Rom. I: *Tradidit illos Deus in reprobum sensum, ut faciant ea quæ non conveniant*: et Apostolus de se ipso dicit I ad Corinth. IX: *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo, ne forte cum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar*, et de ipso Domino Isai. VII dicitur: *Ut sciat reprobare malum, et eligere bonum*. Nomine ergo reprobationis ex usu communi scholasticorum, et auctorum apud Magistrum sententiarum in I, distin. XL, et D. Thomam I part. qu. XXIII, art. III, intelligimus id quod oppositum est prædestinationi, scilicet dispositionem divinam, seu providentiam circa æternaliter exclusos a vita æterna: pertinet enim ad providentiam non solum præmia retribuere dignis, sed etiam supplicia irrogare injustis.

II. Ex his ergo discerni potest quid sit reprobatio et quos actus includat, et ad quam potentiam pertineat. Cum enim providentia ad intellectum pertineat, et voluntatem supponat, et specialiter prædestinatio, quæ est providentia specialis circa electos, supponat dilectionem et electionem eorum, ut sic electis provideatur de mediis opportunis, ipsa etiam reprobatio, quæ ad providentiam oppositam spectat, aliquid importare debet ex parte intellectus, et ex parte voluntatis. Ex parte quidem voluntatis debet importare oppositos actus dilectioni, et electioni, quos prædestinatio supponit, et isti sunt abominatio, seu odium, et rejectio, quæ proprie dicitur reprobatio. Unde S. Thomas q. VI de verit. art. I ad ultimum, inquit, quod: « Etiam posset dici, quod reprobatio directe non opponitur prædestinationi, sed electioni, quia qui eligit alterum accipit, et alterum rejicit, quod dicitur reprobare. » Unde etiam reprobatio ex ratione sui nominis magis pertinet ad voluntatem: est enim reprobare quasi refutare. Sic ergo reprobare ut opponitur huic quod est approbare, seu eligere, ad actum voluntatis spectat. Ex parte autem intellectus importat providentiam divinam circa eos qui deficiunt a vita æterna, ut D. Thomas docet in hac prima parte, quæst. XXIII, art. III et III contra gentil. capite ultimo. In qua providentia tria numerat S. Thomas loco citato ex quæstione VI de veritate, scilicet: « Præscientiam malorum culpæ (in quo includitur permissio) præparationem quoad mala pœnæ, judicium quoad indignitatem admittendi, » ubi clauditur condemnatio, quæ est sententia super indignum, et destinatio ac dispositio de pœna. In hac autem quæstione XXIII, a. III, dicit quod: « Reprobatio non nominat præscientiam

tantum, sed etiam addit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, et inferendi damnationis pœnam » Unde possumus ex illo articulo D. Thomam elicere integram definitionem reprobationis, quam ibi ponit Cajetanus in fine commentarii, quod: « Reprobatio est præscientia, seu providentia de iis qui ab æterna vita excluduntur, cum voluntate permittendi culpam, et inferendi damnationis pœnam. » Vel ut definit Magister sententiarum in I, dist. XL, in fine: « Reprobatio est præscientia malitiæ in quibusdam non finiendæ, et præparatio pœnæ non terminandæ. » Et sic constat ad quam potentiam, et ad quem actum pertineat reprobatio ut providentia: eodem enim modo philosophandum est, sicut de prædestinatione supra disputatione septima tractavimus, oppositorum si quidem eadem est ratio.

VARIE SENTENTIÆ DE REPROBATIONE.

III. Hæc in communi de reprobatione. In speciali vero est magna varietas inter auctores in explicando, et componendo voluntatem istam ad reprobationem requisitam qualis sit, et quod objectum respiciat, vel circa quæ se extendat. Cum enim ex hoc dependeat assignare illi effectus reprobationis, qui ex tali voluntate deducantur, aut causas, seu motiva, quæ præsupponantur juxta varios modos sentiendi de effectibus causisque reprobationis, varie etiam sentitur de ipsa voluntate reprobandi, et excludendi a regno. Et quidem in prædestinatione cum non solum ipse finis, qui est collatio beatitudinis, sed etiam media, scilicet ipsa gratia, et merita sint ex Deo, facile ibi componitur voluntas Dei, quæ utrumque complectatur ex intentione dandi beatitudi-

nem, vel efficaci, ut nos existimamus etiam antecederet ad merita, vel inefficaci, ut alii putant. Cæterum cum in reprobatione et sit damnatio, et præparatio pœnæ, et sit demeritum culpæ, et hoc secundum non sit a Deo, difficilius discernitur, an vera, et propria reprobatio, id est, providentia efficax exclusiva a gloria antecedit etiam permissionem peccati, eamque causet, an solum damnationem pœnæ.

Duæ sunt ergo principales sententiæ, et modi sentiendi in hac parte.

IV. Prima quod voluntas reprobativa solum respicit illationem pœnæ, scilicet ipsam exclusionem a regno, ut damnativa est, et punitiva; et sic ex illa solum sequitur præparatio pœnæ, et inductio in illam; demerita vero culpæ supponuntur per præscientiam cognita, et super illa cadit voluntas reprobativa, non autem voluntas reprobans est prior, et causa permissionis culpæ. Et sic videtur iste modus sentiendi adhærere definitioni reprobationis traditæ a Magistro ubi supra, quod reprobatio est præscientia malitiæ, et præparatio pœnæ: ea enim quæ pertinent ad malitiam, seu culpam sunt solum præscita, et præsupposita in reprobatione, directe vero, et formaliter solum reprobatio est voluntas præparativa pœnæ, et damnationis illativa; non permissionis culpæ causa, sed totum quod ad culpam pertinet, supponit.

V. Secunda vero sententia, seu modus dicendi, reprobativam voluntatem talem esse dicit, quæ complectatur utrumque, et antecedit tam permissionem peccati, quam illationem, et præparationem pœnæ, et utrumque pro effectu habeat. Et cum reprobativa voluntas sit exclusiva a regno, ponit consequenter talis sententia exclusionem a regno

ante permissionem peccati et prævisa demerita; quod aliis valde durum videtur. Et hæc sententia adhæret definitioni reprobationis traditæ a D. Thoma ubi supra, quod reprobatio est præscientia cum voluntate permittendi culpam, et inferendi damnationis pœnam.

Et prima sententia fere pro fundamento habet divinam pietatem, et clementiam, quam nefas est cogitare quod velit aliquem a regno excludere, nisi ejus demeritis positus, et quasi a nostris peccatis impulsus.

Secunda habet pro fundamento supremum Dei jus, et dominium in suas creaturas, qui pro sua mera voluntate dat, vel denegat suum regnum cui vult, et miseretur cui miseretur, et antequam quidquam boni vel mali agant, Jacob diligit, et Esau odio habet.

VI. Ex his duobus fontibus seu capitibus varie assignata est ab auctoribus reprobativa voluntas, et reprobationis decretum, in quo formaliter consistat. Aliqui enim ita late accipiunt reprobationem, quod dicunt importare providentiam divinam ortam ex voluntate ostensionis justitiæ divinæ, quæ voluntas in Deo est antecedenter ad prævisionem peccati; et sic attribuunt reprobationi non solum pro effectu condemnationis pœnam, sed etiam permissionem culpæ, et quidquid ad exclusionem a gloria potest conducere in reprobo, et quidquid ad decursum vitæ in reprobo pertinet. Voluntatem autem puniendi, et damnandi reprobam non negat hæc sententia ad reprobationem pertinere, sed inadæquate, et tamquam partem illius; et hæc supponit quidem culpam, sed non est integra, et adæquata reprobatio, sicut præmiatio, seu glorificatio non est integra prædestinatio, sed pars illius: nam etiam prædestinatio cau-

sat ipsa merita. Sic sumit, et explicat reprobationem Granados, tract. VIII de causa reprobationis, disp. unica, sect. I et II. Et pro hac sententia citat Thomistas, qui communiter eam tenent, Ferrariensis III contra gentil. cap. CLXI; Alvarez lib. XI de Auxiliis, disp. CX; Bagnez ad primam partem, quæst. XXIII, artic. V, in dubio quinto; Zumel ibi quæst. IV; Soto in fine IV sententiarum, præter multos alios antiquos Magistrum in I, dist. XLI, et ibi; Richardum, Durandum, Capreolum, et alios. Eadem tribuit Thomistis p. Alarcon tract. IV de prædestinatione, disp. V, cap. I. Sed gravat illam, tingitque non levi fuligine, dicens fuisse sententiam Calvinii, cui eam tribuit Becanus I part. cap. XVI, quæst. I, et ex eo Herice disp. XXXIII, cap. III. Nimirum ista Calvinismi larva frequenter ab his auctoribus superponitur Thomistarum sententiis, ut horrorem, et pavorem animis audientium incutiant, ne ad eorum sententias accedant.

VII. Alii pressius sumunt reprobationem, nempe pro sola voluntate exclusiva a gloria per modum punitionis, et damnationis, ac proinde in tali voluntate supponitur culpa jam permissa, ideoque effectus ejus esse non potest permissio peccati, sed ab alia providentia Dei procedit permissio, et illa supposita, et non ante intrat reprobatio exclusiva a regno. Et aliqui ita rigorose hoc accipiunt, ut non velint reprobationem ullo modo habere pro effectu permissionem peccati, nec ante illud prævisum, Deum decernere exclusionem a regno. Quam sententiam a fortiori tenent qui in prædestinatione existimant neminem eligi ad vitam ante prævisa merita, quia solum vult Deus illam ut coronam, multo magis exclusionem a regno non vult ante demerita, quia solum intendit illam ut

supplicium. Sequitur hanc sententiam in hoc rigore Villegas controvers. XVI, disp. I, cap. III, et in eam conatur adducere S. Thomam, et Scotum. Eadem attribuit m. Gonzalez disp. LXXVII, sect. IV, Bonaventuræ, Gabriel, Henrico, Valentini, Soto, aliique etiam citantur a Granados ubi supra sectione prima. Eadem sequitur Alarcon ubi supra, capite I, conclusione II, sicut secutus est sententiam de electione ad gloriam, quod non est ante prævisa merita, licet simplicem voluntatem concedat excludendi homines a regno ante prævisum peccatum Adæ, sed hanc voluntatem non esse reprobationem, tum quia non est efficax volitio, tum quia est communis omnibus, sicut simplex voluntas dandi omnibus gloriam.

Cæterum, quia valde difficile videtur multis denegare reprobationi pro effectu permissionem peccati finalis, sicut prædestinationi damus ultimam perseverantiam, et non concedere reprobationi effectum aliquem, nisi post prævisum in executione peccatum, cum violenter reclamet locus ille Pauli Rom. IX: *Cum nihil boni, aut mali egissent, Jacob dilexi, Esau autem odio habui*; quem locum nolle intelligere de amore vel odio in ordine ad vitam æternam, sed ad temporalem hæreditatem, non videtur satis conveniens illi litteræ: ex alia autem parte putent pertinere maxime ad divinæ pietatis abundantiam nolle mortem peccatoris, nec aliquem ad mortem æternam damnare ante peccatum visum, conati sunt varias distinctiones formare, et inducere circa reprobationem ut taliter eam constituent, quod aliquo modo possint ista salvare.

VIII. Et primum occurrit Herice ubi supra disp. XXXIV, c. III, docens dari in Deo voluntatem conditionalem excludendi aliquos homines a

gloria, si in peccato decesserint, quam vult esse specialem voluntatem circa illos, quia eos specialiter excludit; et sic verificatur quod præcedit reprobativa voluntas prævisionem peccati. Sed hæc sententia fert secum manifestam repulsam: quomodo enim potest iste auctor facere specialem voluntatem circa reprobos, illam quæ ita communis est omnibus, ut etiam modo de facto detur circa electos? Quis enim dubitare potest quod modo sit hæc voluntas conditionalis in Deo: si D. Petrus in suo peccato decessisset, condemnaretur, sicut si Judas a suo converteretur; et sic perseveraret, salvaretur. Istæ enim conditionales sunt generales quædam regulæ divinæ justitiæ, quæ sunt in æternum incommutabiles.

IX. Alii apud Villegas ubi supra capite primo existimant Deum quidem non velle excludere a regno suo, nisi ex motivo justitiæ punitivæ, sed tamen intelligunt Deum habuisse pro intentione ostensionem hujus justitiæ, et ex illa intentione ortam fuisse voluntatem permittendi peccatum, et deficientiam a consecutione gloriæ. Quod ibi attribuit Aestio, Gonzalez, Soto, et aliis. Hanc tamen intentionem alii dixerunt non fuisse ad ostendendam divinam justitiam punitivam, sed divinam libertatem, et dominium in creaturas. Quod præfatus auctor ibi cap. II, attribuit aliquibus Thomistis Deza, Cajetano Ferrariensi, Alvarez, Ripa et aliis. Revera enim hæc sententia non est alia a prima, quam ex Thomistis retulimus.

X. P. Suarez lib. V de prædestinatione, cap. V et VI, et lib. II de auxiliis, cap. V, ad tertiam objectionem; Bellarminus lib. II de gratia et libero arbitrio, cap. XVI, et alii, distinguunt duplicem reprobationem, aliam negativam, aliam positivam.